

**Scientia Salvatis, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

57. Feria 2. Evcharistia deifica pari quâdam devotionis mensurâ agenda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](#)

90 Feria 2. Dom. Septuages.

me in filio imaginem Patris! si est è silice, ean-  
dem insculpe, tot malleis adhibitis, quot si-  
gna sunt Passionis, quot memorie in templis,  
urbibus, campis. Si totus sum luteus, & in  
aqua dissoluo, tu igne amoris me coérce, & so-  
lida, imagines sordidas absterge, si Eucha-  
ristia est exemplar Passionis, S. Gaud: Tr. in Exod.  
Fasciculus myrræ mihi sit D. IESVS Eucha-  
risticus, juxta illud D. Hieron. in c. 20. S. Matt.  
*Denarius figuram Regis habet, recepisti similitu-  
dinem meam, quid queris amplius?* D. Mech.  
tildis damnatos ideo esse vidit, quia nunquam  
dulciter una hora recordati sunt moi, id est, Do-  
mini IESV. Lib. 3. c. 11.

MEDITATIO LVII.

Feria 2. Domin. Septuag.

Eucharistia Actio deifica pari quadam  
devotionis mensurâ agenda.

A spiciam divinum Pelicanum de corpore  
suo nobis epulum instrumentum tanto af-  
fetu, ut post institutionem Sanctissimi, non  
solum libenter moreretur, sed, si necesse fuisset,  
maluisset remansisse mortuus, quam ut  
hoc donum ab amante anima contineret. S.  
Gert. l. 3. c. 18. Petam agnoscer, quid ante  
Communionem, quid in ea, quid denique  
ab ea mihi faciendum, ut dignè cōmunicē.

Conf. 1. Dominum jubere parari Pascha,  
ubi

ubi amphora aquæ infertur : quia ad hanc mensā accessurus exquisitâ debet esse mun-  
ditie, non solum ea, quæ de præcepto est, sed etiam, quæ de consilio; ideo enim, ut ait O-  
rig. in c. 13. Joan. Dominus lavat pedes,  
postquam mundi erant, quia gratia transcedit  
necessitatem, & sicut dicit Ioannes : Mundus  
mundificetur adhuc. Certè B. Magdal. de Paz-  
zis, c. 133. vitæ, licet nunquam peccatum  
mortale, nec grave veniale commiserit, ta-  
men communicans timebat, ne à terra sor-  
beretur. Igitur Domino pelvim tenenti ut  
meas lacrymas excipiat, ad me emundandū,  
duplicem earum fontem mihi aperiri petatis  
amaritudinem pœnitentia& concrematio-  
nem charitatis. D. Gertrud. l. 3. c. 14.

*Conf. 2.* In ipsa Communione factam esse  
fractionem panis, & sumptionem: Quod in  
cruce passus non est, in oblatione propter te pati-  
tur, & frangi sustinet, ut omnes satiet. D. Chrys.  
hom. 24. in 1, ad Corin. Ex fractione infert  
S. Greg. Nissenus in c. 13. Eccli: Qui hanc car-  
nem amat, non est sue carnis amicus. Ex sum-  
ptione autem infert idem in c. 3. Eccli: Ut id  
efficiamur quod Deus est: hoc igitur est, quod  
frangi sustinet, ut omnes satiet.

*Conf. 3.* Quid ipsam Communionem sic  
consecutum, quod intelligam ex D. Cypr. de  
Cœna Dom. Cùm saturati fuerint, vide quid a-  
gant,

92 Feria 3. Dom. Septuag.

gant, intellige quo loquantur, quām sancti odors  
sit, quidquid illa eructat plenitudo. Verbum bo-  
num, mores compositos, affectus pudicos, sensu  
pacificos illa interior sinceritas ubiqꝫ diffundit.  
Certe verba, quæ sunt spiritus & vita, in lin-  
gua D. IESV uberrimè post cænam resonue-  
runt. Num idem experior? si non, vitio meo  
accidit, ut cibus optimus malis humoribus  
ventrem occupatum lædat.

MEDITATIO LVIII.

Feria 3. Dom. Septuag.

D. IESVS ardentissimus salutis noſtre  
amator.

A Spiciam D. JESVM amore magis ruben-  
tem, quām carbones igniti apud Isaiam,  
Petam eum intelligere.

Conf. I. Quanta debeat esse salus noſtra,  
quam Deus ſic nobis procuravit, vi cuius tam  
constantis fuit voluntatis prosequendi ſem-  
per, & exercendi media ſalutis, efficaciterque  
deſerendi omnia ejusdem impedimenta: quā  
ſirmi propositi, decretique nulli bono licito,  
jucundo, honorifico, vel utili adhærere, ſed  
illud ſalutis noſtre cauſa relinquere, nullām-  
que moleſtiam, ignominiam, aut detrimen-  
tum ita perhorre, ut ea expedientia ſaluti  
noſtræ ſponte non ſubiverit. Unde inferam  
intolerabile eſſe, cū ille, ut nos pro noſtra  
ipſo-